



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet**

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &  
Festos, ab ipso Auctore confectus

**Stengel, Georg**

**Ingolstadii, 1651**

4. Adultera Ioannem Baptista[m] ad Martyrium promouet.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45686**

sustineat, cum Hecuba, sub eodem tecto degere? Notissimum est, quod supra attingi, fuisse, qui suspendi in furcam mallet, quàm laqueo liberari, ab ea femina, quæ eum, dum jam duceretur, in matrimonium sibi deposcebat. Iudicauerat enim ex acumine nasi, nimis esse biliosam, eaque propter, cum carnisfice potiùs ad coruos pergere, quàm ad perpetuam litem, deum redire malebat. Vique adeò, ipso patibulo maior erit est, *habitare cum muliere rixosa & iracunda.*

Prou. 21. 19.

IV.

Marc. 6. 24.  
Matth. 14. 8.

Quod si quis iracundæ mulieris, & maximè etiam adulteræ exemplum cupit audire, S. Marcum adeat, aut Matthæum. legat: inueniet mœcham, apud regem, effecisse, vt inter epulas, ferale illud ferculum in mensam inferretur, atque inter pictos pauones, inter phasianos, inter capita aprorum, cruentum. Ioannis Baptistæ caput, manibus sanguine stillantibus apponeretur. Quis ibi sapientiam Numinis non cernit? Ex immanissimæ mulieris libidine nata crudelitas illustrissimum Martyrem Deo dedit. Truncatus est ferro, qui noluit conuiuere adulterio. Crimen innocens reprehendit, & mortem meruit: mortem, quæ pariter & iniuria fuit, & corona. Nam Furia illa, mortem illi, in pœnam procurauit, Deus in coronam. Quare vade adulterium, inde & martyrium extitit; mulieris malitia, Numinis prouidentia.

V.

Sur. 3. Iulij.

Quæ sanè etiam de alterius mœchæ flagitio sibi Martyrem fecit. Siquidem instar nouæ Herodiadis, Echnica mulier, ac Ducissa Geilana, legitimo coniuge perfidè deserto, Herbipoli, Gosberto Franconum Duci, per adulterij consuetudinem, adhæsit; quantumuis legitimi sui coniugis ille Germanus frater esset. Herodiadem habebat Francônia, debebat habere & Joannem. Igitur misit, ea tempestate, Summus Pontifex Conon D. Kilianum in illas terræ partes, vt inibi Christum predicaret. Nec cecidit semen in sterilem agrum. Ducem enim Gosbertum Christiana religione imbuit, atque lustralibus aquis tinxit. Dum eum caelesti pietate erudiret, monuit, fas non esse Christiano, eiusmodi mulierem, contra diuina & humana iura, secum retinere. Et habuit docilem ad omnia. Nam eius verbis eius persuasus, statuit eam, quàm primò e bello redijisse,

(bellum